

IOANNIS DAVIDIS SCHOEPFF

AVGVSTISS. REGIS BORVSS. CONSIL. AVL. COLL. MED. ONOLD. VICE.

PRAESID. ACAD. IMP. NAT. CVR. ET SOC. BEROLINENS. NAT.

SCRVT. SODALIS

HISTORIA  
TESTUDINVM

ICONIBVS ILLVSTRATA.

---

FASCICVLVS I. ET II.

CONTINENTES

TABVLAS I - X. ET PLAGVLAS A. B. C. D.

CVM

P R A E F A T I O N E.

---

ERLANGAE

• VMTIBVS IOANNIS IACOBI PALM.

• ID ID CCLXXXIX.

Testudinem Gronov. Zoophyl. n. 74, ex tota descriptione et absentia cirrorum, nostram non esse judicat Ill. Retzius, sed potius ejusdem Auctoris Nro. 73. cuius nempe „Maxilla inferior utrinque medio inter apicem et oris angulos, barbula seu cirro satis insigni carnoso instructa „ dicitur. Utrisque autem has Gronovianas Testudines, T. europeae varietates fuisse suspicatus est Ill. Schneider, ideoque de vere T. scabrae existentia dubitavit, in qua opinione Cel. Gmelin ipsum sequutus est, qui scabram L. ad orbiculari relegavit, nomini Linneano autem T. verrucosam Wallbaumii substituit.

Facile colligitur ex omnibus, hucusque in medium prolatis, rem arduam esse, certi aliquid de T. scabra L. statuere. In hac itaque opinionum diversitate commodissimum putavi, descriptionem et iconem fidem \*) ejus Testudinis dedisse, quae pro vera T. scabra L. a laudatissimo Retzio habetur, et quae si eadem non fuerit, nova species, nunc primum descripta ac depicta, censenda erit, cuius notitia Ill. Retzio debetur. Si autem ita res evenerit, quum novis rebus nova nomina ponenda sint, ob singularem capitum clypeum, quo haec testudo adornatur, *Testudo galeata* forte, commode appellari poterit.

## Tab. III.

Fig. 2.

## TESTUDO SCRIPTA.

Testudo scabra. THUNBERG.

Testa orbiculari, depressa; scutellis omnibus superne characteribus notatis; marginis XXV. inferne guttatis.


**E**n! aliam, pro T. scabra L. datam, novam certe et nullibi hucusque designatam testudinem. Ill. Thunbergio debemus ejus imaginis notitiam et

\*) „Figura T. scabra Retzii, apprime respondet specimini in Museo Acad. Reg. Holmensi servato, etiam magnitudine; hujus testae dorsum saltem paullo magis carinatum esse videtur; colores autem animalis in spir. vini servati, evanuere. — Ex litter. cel. D. Swartz ad Generos. Schreber. Novbr. 1791.

et communicationem. Ulteriore licet explanatione deficiente, ex ipsa tamen patet iconē, etiam hanc characteri *T. scabrae* L. congruere; ad sunt etenim: „*Testa planiuscula, antice retusa, dorso carinato, subtus albo nigroque varia;* „*pedes palmati et unguis acuti.* „ Nihilominus haereo, an nostrae testudini similem coram habuerit b. a Linné, *T. scabrae* suae characterem concinnatrus; certo certius enim picturae, characteres inscriptos quasi referentis, in scuto superiore mentionem fecisset; utpote notae prae aliis conspicuae. Cum individuum cuius nobiscum communicatam imaginem Tab. III. fig. 2. exhibet, ipse non viderim, et, praeter nomen, nullam ejus descriptionem dederit laudatiss. Thunbergius; alia, quam ipsius figurae inspectio quemlibet edocere potest, addere non libet, ne descriptionem finxisse, vel superflua et aperta in medium protulisse videar. Orbiculari figurae prae ceteris accedit haec testa, et valde depresso videtur. Margo crenulatus appareat. Sterni cum testa superiori connexio efficitur non sola sterni parte media, sed ejusdem quoque lobi anterioris alis dilatatis; uti in plurimis autem speciebus, quatuor inter mediis marginis scutellis, (a quinto ad octavum usque,) necitur sternum.

Utrum characteres testae sint leviter tantum inscripti, an profundius insculpti, nescio. Patria quoque, aetas, et reliqua, quae ad historiam ejus illustrandam facere possent, ignota sunt. — Ad tribum aquatilem eam pertinere, nullum est dubium; licet pedum figura non optime expressa videatur.

---



1. *Test. scabra* Retz. 2. 3. *Test. cimera* Brown. 4. 5. *Test. scripta* Thunb.